

proportiones superparticulares redigas, mille millenas habebis differentias sonorum in unâ sesquioctavâ, vel in uno commate, ut ita eum valdè imperitum proportionum Musicarum existimem, qui hasce differentias tantùm ad viginti octo numerum extendi posse putat, cum ea, si velis, in infinitum excrescant.

### De quaestione decima octava.

Quomodo semitonium majus & minus constituatur & distinguatur.

**Q**uestiones duæ quæ sequuntur institutæ sunt de semitono, & prior quidem de Semitono naturali vel ficto, altera de quantitate & formâ semitony. Cum autem de essentiâ rei omnium primùm meritò quaeridebeat, posteriorem priori præponimus, & prius formam & essentiâ semitoniorum considerabimus. Post etiam de alterâ quaestione acturi.

Sententia hujus quaestionis, quæ obscuriùs aliquantùm proponitur, est hæc, an inter voces Musicales mi & fa sit semitonium minus,  
an ve-